

pacto & Herodoti historia possit cani in forma poëtica. Ipse enim non Naturam, sed Homerum consulit in sua poëtica. Nam & qui vnius generis sunt, & ad vnius Reip. conditionem fortunamque dicendam spectant, faciunt vnitatem: similiter & qui tanquam exemplaria vnius virtutis, quamuis ex diuersis notionibus accessuntur, faciunt vnitatem. Ut in triumpho pudicitiae omnes pudici, & in Dante, Hugo, Ciappetta per omnes insigniter liberales de liberalitate canit, &c. & per omnes auaros insigne auaritiam execratur.

De secunda, Epopœia, & de Actionis vnitate, et episodiis.

Alia Epopœia non compilat actiones, & heroas, sed vnum tantum canit. Vbi poëta loquitur, & personas loquentes introducit, sicut Dialogus Platonis de Rep. & ipse est qui totam recitat historiam. Arist. reprehendit eos, qui vnitatem huic poëmati dant abyna persona, vt qui Theseidam, aut Heraclidam conscripserunt, & nunc qui Christeidam: & qui Scanderbec. Non enim est vera vnitas, nisi vnius actionis. Ut cum Theseus ad inferos pro Proserpina descendit. Et cum Scanderbec Croiani contra Baizet defendit. Et quidem verum dicit. Nam nec in compilatione omnia gesta canimus, sed maxima. Sic neque in hac Epopœia omnis actio vitæ Alexandri, aut Scanderbeci erit poëmatis materia. Possumus alias actiones tanquam episodias interserere, introducendo personam ex aliqua occasione ipsis narrantem, vt Æneas Didoni gesta apud Troiam. Actionem dicimus vnam, quæ habet principium, medium, & finem sibi correspondentia. correspondentia autem quando alterum sine altero intelligi non potest, nec existere perfecta historia. Igitur ludi celebrati in sepulchro Archiles non sunt neque principium, neque medium, neque finis Æneados Virgilianæ: nec pars istarum partium: sine ipsis enim stat historia. Pars autem est historia Pallantis, & Euandri, quoniam